

1337 sine cruento debellatum iri nemo ambigeret, si in discrimen unius dimicationis victoram conjectisset. Dum itaque ille circa Bubulentam sedet, ratus se magno incommodo hostem affecturum, si pergeret ei commeatus intercludere, quo minus fluvio subvehementur, ecce trepide affertur, Brixiam gravi obsidione a Luchino premi occœpisse. Quo nuncio turbatus Mastinus, per Patavinos fines & Vincentinos citato agmine se Veronam proripuit, Brixia subito opem latus. Quod ipsum dum studio pararet tumultuosius, nunciatum Patavium defecisse, Albertumque fratrem cum omni prædio captum. Ea clades ita Tyranni ferociam prostravit, ut nunquam postea ad spem melioris fortunæ sit erectus.

Marsilius Carrarius, Mastino ad Brixiam obsidione levandam Patavinis finibus abeunte, Petrum Rubrium cum copiis accersitum, aperta illi porta, quæ *Pontis curvi* dicitur, intra mœnia admiserat; qui ubi media urbe conspectus est (nec enim hostile quicquam in cives movebatur) continuo in publicum est laticia decursum: Rubrium liberatorem suum salutant: Rubrium miro favore & laudibus extollunt. Hic vero pro concione civitatis regimen, Venetorum nomine, Marsilio Carrario miro omnium consensu defertur. Albertus & Risius Foranensis urbis Prætor, ac plerique ex tyranni necessariis in ea trepidatione capti sunt, res eorum direptæ, Albertus non multo post Venetas est missus. Quingentos Germanos equites, qui in victorum potestatem venerant, equis armisque restitutis, Rubrius libere abire permisit. Mastini animus tot cladibus concussus vehementer angebatur: quum interim & alia recens clades affertur: Carolum per eos dies Feltrum cum aliquot oppidis recepisse: Lucam ad hæc gravi bello a Rolando Rubrio, qui Florentinorum copiis præerat, urgeri, ac etiam dubium esse, an Lucensium animi jam ad defectionem spectare cœpissent. Sed omnium pene atrocissima illa, quæ non multo post allata est: Brixiam, ad quam obsidione levandam sedulo se accinxerat, ditionem fecisse; atque ita continuatis, alia scilicet super aliam, cladibus, novissime cognovit Bergomum quoque sibi a Luchino ademptum. Paduam, Scalanis ejus,